DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

SISTENS

PARTVS NATVRALIS

BREVEM EXPOSITIONEM

QVAM

CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS

PRO OBTINENDIS SVMMIS

IN

MEDICINA ET CHIRVRGIA HONORIBVS

DEFENDET AVCTOR

IOANNES IACOBVS RÖMER

HELVETO-TIGVRINVS

D. XXI. SEPT. MDCCLXXXVI

H. L. Q. S.

GOETTINGAE,

Litteris IO. ALBR. BARMEIER

ACAD. TYPOGR.

PIIS

IOH. HENRICI RAHNII

MANIBVS

PAVLO VSTERI

IOH. HENRICO LAVATER

AMICIS. COMMILITONIBVS.

SACRVM.

Cum maximam, quo hic commorarer, temporis partem, in addiſcendis artis obſtetriciae diſciplininis verſatus ſim, haud abs re fore duxi, peracto iam curriculo academico, quaedam ex ea ipſa petita, proferre. Et quidem de *partu naturali* mihi ſermo erit, quod ſuperuacaneum et nullius momenti videbitur iis, qui obiter tantum et quaſi praetereundo obſtetriciae artis fontes adiere. Equidem multo magis vereor, ne viri in arte noſtra peritiſſimi praepoſterum potius et ad prouectiores annos remittendum ducant laborem meum. Quem enim, qui vnquam obſtetriciam profeſſus eſt artem, latere poteſt, partum naturalem fundamentum eſſe, quo omnis noſtra theoretica partus cognitio nitatur, auxilium in praeternaturalibus et difficilibus caſibus ferendum, ſuperſtruatur? Quis eſt, qui neſciat, in partu naturali, quamuis vulgatiſſimo, multa adhuc, et haec quidem grauia, eſſe obſcura, et non niſi ſerie obſeruationum ſolidarum, et maxima cum diligentia inſtitutarum eruenda, firmanda?

Noua autem atque inaudita proferre, vetat iuuenilis et nondum ſatis experta aetas, vetant limites, quas mihi ipſe in elaborando iſthoc ſpecimine breuiſſimas, praeſcribere debui. Sed eandem materiam vberiori et pleniore ſermone, et multo pluribus firmatam et locupletatam obſeruationibus poſt aliquot annos pertractandi animus mihi eſt; ita vt ſequentes pagellae ſchema tantum ſeu ſceleton ſectionis ſcripti illius, quae (miſſis theoriis de partus mechanismo etc.) ſtrictiori ſenſu de partu naturali aget, offerant. Sequenti vero ordine rem ipſam adgrediar:

1. Ex obſeruationibus a me ipſo ſumma qua potui diligentia et attentione, in noſocomio grauidarum Goettingenſi, ſub auſpiciis praeceptoris mei et Fautoris pia mente colendi Cel. Prof. FISCHERI, florente, inſtitutis, vnam alteramue continuo ſermone narrabo, vt exinde methodus appareat, quam in exarandis fere quadraginta aliis ſequutus ſum.

2. Delectum quatuordecim obſeruationum in formam tabularem redigam, omnia quae mihi memoratu digna viſa ſunt comprehendentem.

3. Ex his Obſeruationibus, veluti corollarium, partus naturalis hiſtoriam deducam.

For-

Fortaſſis nonnulli mirabuntur, quod tam parcam auctorum copiam citatam reperient; ad ſciant rogo, hoc bono conſilio fuiſſe factum. 1. enim, lectione omnium librorum et breuiuſcularum commentationum ad diſſertationis Thema facientium tempus, ſerioribus, gravioribusque et per totam vitam profuturis lucubrationibus deſtinatum terere nolui; neque inanem iactantiam maximo ſoluere damno meo. Quamuis autem 2., perſuaſum habeam, quod ſcribenti de hac illaue materie, optimi quiuis fontes adeundi ſint omnes, tamen non video, cur lectores tam omnis eruditionis expertes ſibi fingat auctor, quin hos in arte magiſtros et alios plures iamdudum legerint atque in ſuccum et ſanguinem conuerterint. Taedium ſane et ſtomachum mouet, ſi quotidie tantam ſcirptorum copiam prodire videmus, quorum quarta ſeu tertia pars in citationibus aeque ſuperuacaneis quam falſis et ſaepiſſime ab anteceſſoribus mutuatis conſiſtit. Ego nempe auctores adlegando hanc legem ſequutus ſum; vt vbicunque cum *plurimis* ab omnibus pro *artis magiſtris* habitis ſenſiſſem, nullum plane teſtimonium ſubiungerem, quia meis obſeruationibus tam certus factus ſum, eos bene obſeruaſſe, vt easdem nunc pro meis agnoſcam et vna cum anteceſſoribus meis earum veritatem vindicem: vbicunque autem a praeclarorum, et ſummorum in arte virorum ſententia diſcreparet, vel

vbi hoc vel aliud propoſitum auctoris cuiusdam, adhuc incertum et ambiguum haereret, ego vero ſiue teſtimoniis aliorum ſiue meis obſeruationibus hanc vel illam difficultatem tollere, errorem emendare poſſe crederem, tunc ſancte auctores allegarem, tam illos cum quibus, quam contra quos ſentirem. Si autem iudicium iſthoc meum de citationibus contemtui verae eruditionis, ſiue propriae negligentiae, quam defendere ſtuderem, tribuere velit aliquis, certe, multum falleretur. Nam ſi quis alius, certe ego veram eruditionem et praecipue hiſtoriae litterariae ſtudium adamo et pro viribus colo, mihique facile fuiſſet immenſam copiam auctorum de materia mea tractantium, referre. At omnia haec *ſuo loco*, bona atque optima eſſe, ſed heic neutiquam pertinere exiſtimo. Caeterum ipſi de hac re iudicent viri omnis generis eruditiſſimi: ego leuiter tantum opiniones meas propoſui, et ad illorum iudicium libenter me compono. Nunc ad rem.

I.

Partus abſolute naturalis foeminae primiparae.

A. M. W. mulier viginti trium annorum, bene conformata, robuſta, ſtaturae procerae, quae inde ab initio menſis Auguſti anni 1785 grauiditatis ſigna, et ad finem

De-

Decembris primos embryonis motus ſenſiſſe ſe credebat, et verſus d. 24. Iunii menſis, geſtationis finem exſpectabat: caeterum per omne grauiditatis tempus ſana, exceptis affectibus quibusdam peripneumonicis, a plethora oriundis, qui autem venaeſectione et regimine antiphlogiſtico ſtatim tollebantur.

Haec veſpera diei 18. Iunii menſis hora decima ſubitaneo vomitu corripiebatur, quem illico dolores *praeſagientes* excipiebant: hi in medio abdomine incipiebant, et ſenſim ſenſimque per eius latera pergentes tandem in lumbis ceſſabant, et longioribus interuallis redibant. Perfriguit paullulum foemina, ſed praeterea nihil incommodi ſentiebat. Transacto ſic medio noctis dolores nunc paullulum frequentiores fieri coepere.

Hac nocte aegra nullum plane ad ponendam vrinam ſtimulum ſenſit: at mane diei 19 ſymptoma iſtud apparuit.

Die 19, hora 8 matutina. Dolores quibusuis dimidiis horae quadrantibus redeunt; augentur numero quando foemina circumit, minuuntur, quando ſubſidit.

Ventris tumor minor quidem factus tamen vmbilicum palma transuerſa ſuperans. Integumenta admodum expanſa, attamen abhinc quatuor diebus aliquantulum relaxata. In dextro latere tumor nonnihil maior percipitur, quam ſiniſtro. Genitalia externa tument: vagina relaxata, lubrica. Caput luculenter praeuium, ſupra arcum

ossium pubis firmiter haerens, immobile. Cervix vteri, tam alta haerebat et tam profunde in excauatione ossis sacri occultabatur, vt digiti tangentes vix ac ne vix eam assequi possent. Solummodo superueniens dolor, eam digitibus explorantibus appropinquabat, et tum reperiebatur ceruicis adhuc portiunculam minutissimam adesse, orificii aperturam circa tres ad quatuor lineas in diametro habere, et velamenta se tendere.

Cum iam per triduum alui obstructione laborauerat, enema parturienti applicabatur: quo facto duabus vicibus aluum deposuit, et doloribus auctis afficiebatur.

Hora 11. Nihil quidquam mutatum, excepto vteri orificio nunc paullulum magis aperto.

Meridie aegra magna cum appetentia cibos sumsit. Hoc vero nullam dolorum mutationem adferre videbatur.

Hora 3½ vespertina. Omnia in eodem statu, nisi quod nunc medium digitum per os vteri transmittere valerem. Cervix nedum adhuc omnis euanuit.

Hora 6½. — Dolores multo vehementiores fiunt. Labia orificii vterini nunc omnimode detersa; Diameter oris vteri dimidii pollicis magnitudinem aequat: Velamenta etiam, sub doloribus tensa, nunc maiorem circumferentiam prae se ferunt. Orificium vteri antea vix attingendum, nunc pollice depressius. Ad matris sinistram distincte sentio suturam sagittalem secundum dia-

diametum obliquum procedentem: ſupra oſſium pubis arcum fontanellam minorem: ſenſiſſe mihi etiam lambdoideae crus videtur.

Hora octaua veſpertina denuo clyſma applicabatur, quo cum ſordes multae deiectae fuere.

Viginti ante nonam horam minutis, vomitus vehemens exortus.

Hora 9. — Tranſitus in *ſecundum ſtadium* in propinquo eſt. Mucus vaginae rubro tingitur. Orificii vteri craſſities dimidiam lineam non excedit; aperturae diameter tres pollicis quadrantes aequat. Dolores vehementes quidem et frequentes, at a parturiente non ſuffulti, aderant.

Hora $9\frac{1}{4}$. Iam ſecundum ſtadium penitus ingruit. Orificii aperturae diameter pollicem ſuperat. Velamenta, etiam ceſſantibus doloribus extra orificium protruſa. Dolores efficaces, ſingulis fere quatuor minutis redeuntes.

Abdomen tactu dolere coepit. Hora vndecima. Velamenta ex orificio prominent ſatis, ſed nondum tantopere expanſa vt rupturam tam proximam crederes: attamen rumpunt. *Initium ſtadii tertii.*

Aquae, octauam menſurae partem efficientes, magno cum impetu proſiliere.

At nunc lentius exſpectatione noſtra proceſſit res: dolores quidem et vehementes erant et frequentiores: at parturiens ſub doloribus dorſum incuruabat, ita vt niſus efficaces edere non poſſet. Veriſimile

etiam

etiam eſt, crebras explorationes, quibus vagina omni muco ſuo priuabatur, in cauſa huius lentoris fuiſſe.

Hora 12¾. — Caput totum quantum in vagina; perinaeum ſub doloribus tenſum.

Quatuor ante primam diei 20mi horam minutis, tumor capitis iam extra labia magna conſpicuus, et pauca minuta poſt, peperit foemina,

Poſt partum viribus delapſa aegra, toto corpore contremiſcebat, admodum doloroſa, frigore concutiebatur et Lipothymia leuiori. Tum paullulum calidioribus veſtibus tegebatur puerpera, illique guttulae quadraginta Liquoris anodyni mineralis Hofmanni inſtillabantur: quo facto ſuauis ſomnus ſolutionem placentae nonnihil retardans, illam excepit. Tandem hora ſecunda noui diei paucae guttulae ſanguinis ſtillauere. Sed expulſio totalis placentae, tantum viginti poſt horam tertiam minutis euenit, ſine magna ſanguinis deperditione.

Infans recens natus foemininі generis erat.
Pondus eius 7¾ libr.
Magnitudo viginti vnius et dimidii pollicum.
Diameter capitis maior 4 poll.
- - - minor 3½ poll.
Funiculus vmbilicalis craſſus, collo infantis ſemel circumuolutus, hic illic varicibus aſperſus, viginti nouem pollices longus erat.

Is

Is, vti fere apud omnes caeteros compertum fuit, versus marginem placentae insertus, et Velamenta eccentrice rupta erant.

Placenta oblonga, $1\frac{1}{4}$ libr. aequilibrabat.

Notanda.

1. Quod parturiens doloribus tam atrocibus in pedibus et genubus cruciabatur, vt quum a valida sustentatione harum partium multum leuaminis sentiret, quauis occasione hocce auxilium a nobis expeteret.

2. Quod iam inde a hora secunda diei 19 tam bene se gereret in sella obstetricia, vt, quamuis pro lubitu illi ingredi, decumbere, sedere licitum fuerit, tamen hunc situm quibuscunque aliis praeferret.

II.

Christiana Köhler, Nordhusiae incola, nouemdecim annos nata, primipara, staturae mediocris, inde a tertia Iunii 85 hebdomade grauida, penultima eiusdem anni hebdomade motus infantis primum sensit. De cetero per totum grauiditatis tempus sanissima, nisi quod mammarum dolores atroces perpessa est, qui vero cessauere.

Haec noctu diei vigesimi Martii 1786 doloribus lumborum, sensu aegritudinis, et crebro instinctu vrinam mittendi, corripiebatur. Dolores in lumbis incipiebant, et exinde per totum abdomen se propagabant.

Die 21. hora 9 matutina Dolores vehementes, frequentes. Perfrigerium. Nausea.

Ab-

Abdominis tumor vmbilicum palma ſuperat; duriſſimus; inprimis in regione vmbilicali, vbi quaſi in montem aſcendit: in dextro latere paullulum maior. Vmbilicus ad omnes dimenſiones valide protruſus. Pudendorum labia tumida. Vagina muco repleta, dilatata: caput mobile, ſupra arcum oſſium pubis defixum: ſegmentum inferius carnoſum. Portio vaginalis penitus deterſa: orificium vteri tenuiſſimum et eo vſque apertum vt medium digitum immittere poſſis; orificii margo rotundus, et acutiſſimus, ita vt nullum dubium amplius adſit, primiparam eam eſſe. De velamentis nondum ſatis diſtincte aliquid ſentiebatur.

Meridie in eodem ſtatu omnia reperiebantur, ſi orificium excipias, nunc magis apertum, et velamenta tactu diſtinctiſſima.

Hora 3½ pomerid. Abdominis tumor transuerſo digito magis ſubſidebat. Partes genitales muco quammaxime repletae. Orificii aperturae diameter tres pollicis quadrantes aequat. Velamenta ſub doloribus paucis lineis ex orificio prominent, etiam ceſſantibus doloribus facili negotio diſtinguenda. Dolores valde efficaces quouis quinto ſ. ſexto minuto redeunt.

Hora 6. Vomituritio. Vomitus exiguus ſpontaneus: Dolores et vehementia et frequentia aucti. — Vacuum ſiniſtri lateris nunc magis notabile. Vteri os maxime dilatatum, tenuiſſimum. Velamenta iam extra do-

dolorum tempus nonnihil prominent, recte ſita eſſe videntur. Mucus ſanguine tinctus.

Hora 6¾ Clyſma applicabatur, quod ſedes copioſae inſecutae ſunt. Poſtea dolores multo minus efficaces et lentiores euaſere.

35 minut. poſt h. 8. Velamenta rumpuntur. *Initium ſtadii tertii.* Iam languere coepit parturiens, et dolores vix aliquid effecere; ita vt hora decima optimum fore ductum fuerit, forcipem applicare: minime nempe dubitatum fuit naturam ſolam non ſufficere ad expellendum infantem: at quum iam per aliquod tempus caput in vaginam propulſum fuerit, metus exſtitit, ne ſi diutius illic commoraretur, hoc vitae infantis periculoſum fieri poſſet. Forcipe itaque facillime applicato, octo tractionibus, quibus decem minuta impendebantur, abſolutus fuit partus, et viginti minuta poſt, placenta inſecuta.

Infans *foeminini* generis, ſtatim vociferando, et oculos aperiendo ſe in vita eſſe prodidit, neque vlla ſigna applicati forcipis prae ſe tulit.

Pondus - - - 6 libr.
Menſura - - 22 pollic.
Capitis diameter maior - 4¼ pollic.
— — minor - 3¼ pollic.
Funiculus vmbilicalis 28 pollices metiebatur, nodo vero diſtinctus.
Placentae pondus libr. j.
Funiculus vmbilicalis verſus placentae marginem inſertus et velamenta eccentrice rupta erant.

III.

Partus naturalis neruosis ex spastico genere, symptomatibus remoratus.

Die 5. Augusti, vigesima septimana abinde grauida primum motum embryonis sensiuerat elapsa nunc erat. Iam ante annum filiam pepererat. At partus iste per tres dies durabat, et quamuis tandem vivum infantem in lucem ederet, difficillimus erat. Abdomen modice expansum, recte subsidebat, et praeternaturalis nihil prae se tulit. Crura, pedes atque genitalia varicibus adspersa erant. (Hos sequelam praecedentis retardati partus praedicare, quo partes hi debilitabantur, nullus dubito). Iam ante hos dies ventris tormina et auctos nisus vrinam mittendi passa est aegra.

Circa mediam noctem primis doloribus corripiebatur, et mane hora secunda orificium vteri peluis medium occupans ad quatuor lineas in diametro apertum inuentum fuit: caput peluis cauitatem omnino explevit. Dolores naturales, id est, simplices, boni et efficaces aderant, ideoque orificium vteri hora quarta iam ad decem lineas apertum. Velamenta, vt videbatur, tantum ex inopia aquarum non distendebantur, sed firmiter capiti adhaerebant: caput ipsum orificio vteri maxime accomodatum erat. Quid multa? tam faustum et naturalem patrum praedicebant fere omnia signa, vt nullum dubium restaret, eum hora septima matutina certo certius fore absolutum.

Hora

Hora 4. matutina patellam parturienti coffea plenam praebebant; hanc autem mox infequuto vomitu eiiciebat.

Hora quinta frigore aliquantulum afficiebatur (vomitus et frigus alternis vicibus fuccedentes figna funt pathognomonica dolorum fpafticorum), poftea languore et debilitate quadam fingulari, quibus dolorum efficacia minuebatur: hanc ob rem verfus fextam horam iteratis vicibus aliquantulum liquoris anodyni fumfit, quo vires reftaurari videbantur. Sed hora feptima frigus et languor denuo exorta. Liquori itaque 15-20 Laudani liquidi guttulae addebantur, at ftatim vomitu eiiciebantur; (Laudanum non in caufa huius vomitus fuiffe, teftatur Coffea ante aliquot horas vomitu eiecta) nihilo tamen minus vires reftauratae videbantur; quamuis partus nequidquam vlterius proceffiffet, hoc folo excepto, quod orificium vteri nunc ad 1¾ pollic. diametrum expanfum, caput magis verfus peluis exitum protrufum, iuxta velementa orificio vteri proxime appofitum reperiretur. Nunc (hora 7) autem, cum doloribus fimul ventris tormina ingruebant.

Rebus fic ftantibus, verfus horam octavam rurfus 15 ad 20 Laudani liquidi guttas, cum fufficiente quantitate liquoris anodyni fumfit, neque amplius refpuit. Sed loco fimplicium et efficacium dolorum, ventris tormina magis magisque aucta fuere, et cum quouis dolore lotium expellebatur, Languore iterum correpta eft aegra. Dolo-

res vero iſti, quamuis ſpurii, tamen nequaquam *colici*, ſed *ſpaſtici* erant, et quidem partiales, vteri parietem anteriorem et regionem veſicae vrinariae occupantes.

Cum in eodem ſtatu maneret foemina, et partus neque promoueretur, neque retro iret, hora 9½ nunc tertia vice quindecim guttae Laudani cum Liquore anodyno ſumſit ſed ſine ſucceſſu: et languor enim, et dolores ſpurii potius augebantur quam imminuebantur. Lipothymiae quidem non aderant, ſed nihil minus debilitas ad ſummum gradum peruenta erat: ad modnm infantum mammam ſugere non valentium, ſeu moribundo ſimilis, cui deglutitio iam ceſſat, ne guttulam fere iuſculi deglutire valebat. Deſperatae ſic quidem res videbantur, at reuera non erant. Cum enim praeter alia ſigna, calor non multum auctus, et pulſus haud ita vitiatus maneret, minime dubium erat, quin debilitas iſta praeter naturalis aliud quidquam ſit, quam ſpaſmus, quo ceſſante melioris notae dolores exorirentur et ſimul ac vires, nequaquam corpori ereptae, ſed tantum ſpasmo ſopitae quaſi ſeu ſuppreſſae, reuerterentur; et hoc modo partum praeter omnem ſpem et opinionem facilem euaſurum.

Hora vndecima vehementia modo dictorum dolorum ſpuriorum ad tantum faſtigium euehebatur, vt parturiens, quamuis ſummo languore et debilitate oppreſſa, tamen alta voce eiulatus emitteret.

Cer-

Certiſſimum quidem erat, Laudanum non in cauſſa dolorum iſtorum fuiſſe; attamen quum vſus eius nullum fructum attuliſſet, quinimmo dolorum vehementia indies aucta fuiſſet, nihil amplius de iſto remedio exſpectandum erat. Dolores vero iſti non erant ſpaſtici inuerſi ordinis, vbi orificium vteri rurſus contrahitur. Venaeſectio non niſi cum ſummo parturientis periculo inſtitui poterat: Clyſma itaque anodynum praeſcribebatur ex Eſſent. Caſtor. cum Liq. C. C. ſucc. et pulv. antiſp. Nitr. At cum haec agebantur, foemina inde a 11½ ad 12 horam ſex dolores habebat, quos valide, et *ſine eiulatu* ſuſtinuerat. Poſt hos exploratione facta compertum fuit orificium vteri eximie dilatatum, et velamenta lata, expanſa: nunc digitis rumpebantur:

Sequentia impediebant, quo minus ruptura iſta artificialis citius inſtitueretur:

1. In lecto id minus commode inſtitui, et in ſedile transferri aegra non poterat.
2. Antea ad nixus edendos, (ſiue in lecto ſiue in ſedili id fieret) nimis debilis erat.
3. Orificium vteri non erat ſufficienter apertum, neque velamenta ſatis protruſa.

His peractis aegra derepente tanto vigore reuiuiſcere coepit, vt caput primo poſt aquarum effluxum exorto dolore validiſſime protruderetur, et tempus fere deficeret eam in lectulum ad parturiendum adaptatum transportandi, vbi perpeſſis quinque vel ſex doloribus (adeoque ante et poſt velamento-

rum rupturam 13 - 15 dolores omnes has mutationes efficiebant) enixa eſſet puellam ſaniſſimam et valde robuſtam. (Clyſma ergo non applicatum fuit). Placenta facillimo negotio inſequuta.

Puerperio tranquillimo, et ne minima quidem infirmitate turbato gauiſa eſt mulier.

* * *

III.

Partus naturalis hiſtoria.

Priusquam me ad tertiam diſſertatiunculae meae partem accingam, neceſſe videtur quaedam admonere, quae vel ad meliorem intellectum, vel ad arcendas has illasue alienas interpretationes ſeruire poſſunt.

Memores igitur ſint lectores mei, hoc loco ſolummodo de *partu naturali et in illo peragendis* ſermonem eſſe; itaque omnia, quae conuenientiae et nexus gratia hic illic interſperſa ſunt, et vel ad grauiditatis ſymptomata, et tempus, vel ad partus theoriam, vel ad caſus praeternaturales pertinent, pro alienis habenda eſſe. Deinde non aegre ferant, vbi omnia ſermone minus prolixiori et breuibus tantum prolata reperient. Nam hac in re exemplar mihi quaſi imprimis propoſui, *Hironymum Dauid* GAVBIVM, cuius breuitatem in dicendo, couiunctam cum ſubtilitate ſumma, ſi cui attingere liceret, illum ego mihi virum egregie doctum laudauerim; me ipſum autem ne ex longinquo quidem attigiſſe, omnium optime noui ipſemet ego. Interim vero periculum feciſſe non piget: enim-

enimuero perſuaſum habeo, id mihi maximo vſui fuiſſe, et illum tantummodo doctrinam ſuam habere abſolutam, qui eam tam ſubtiliter, clare, accurate atque ſolide explicare poſſet, vti modo dictus medicorum primipila. Neque hoc vt tempori parcam feci, quum de certo affirmare poſſum, negotium mihi multo facilius fuiſſe, ſi quod vna plagula expoſui, quatuor vel quinque conſcripſiſſem. Tandem ingenue rogo, perſuaſum habeant, vbi forſan huc illuc a viris ceterum celeberrimis et doctiſſimis diſſentiam, id nulla omnino alia ex cauſa, niſi veritatis ſtudio factum fuiſſe. Nihil enim magis in votis habeo, niſi vt, ſi errauerim, a iudicibus meis meliora ediſcam.

* * *

Sub finem decem circiter menſium lunarium inde a conceptionis tempore foemina grauida tandem *parit*, i. e. infantem per 280 dies in ſinu geſtatum, in lucem edit.

A variis varie diuiditur partus: ſiue enim eſt naturalis, ſiue praeternaturalis; ſiue facilis, ſiue difficilis, et ſic porro. At omnes haſce diuiſiones et diſtinctiones enumerare heic non noſtrum eſt, quamuis cunctarum, (praeter eam ſanae rationi contrariam diſtinctionem, vbi partus naturalis ſ. perfecte, ſ. imperfecte naturalis iterum audit (v. HAGEN'S neües Lehrgebaüd) vtilitatem rite agnoſcamus.

Nobis *naturalis* partus — cuius *vnicum* tantum genus exiſtit — omnis ille audit,

quo foetus ſolas per naturae vires, nulla adiutus arte, ex vtero materno expellitur, vel ſaltem expelli poſſet, niſi obſtetricanti varias ob cauſas melius viſum fuerit accelerandi expulſionem iſtam.

Quemcunque partum (naturalem aeque ac praeternaturalem) *Signa* quaedam praecedunt, ſcitu perquam neceſſaria, quibus imprimis edocemur, num partus reuera inſtet, et qualis futurus ſit.

* * *

Signa partum naturalem, tres, quatuor, ad octo et plures dies *praecurrentia*, plus minus conſpicua, quandoque, at raro, plane imperceptibilia: pro diuerſa aetate, conſtitutione, temperamento, ſubinde aliquantulum diuerſa, haec fere ſunt:

Foemina inde a tempore primae conceptionis circiter ducentos et octoginta dies numerat: mucus ſolito maiori copia ſecernitur albus, craſſus, viſcidus, emolliens, lubricans, praeparans, ſubinde tam copioſus, vt vagina effluat: moleſtia et ponderis ſenſus in infimo ventre, cum frequentiori mingendi cupiditate a ſenſim ſenſimque tentata atque incepta eius dilatatione originem ducens: abdominis forma mutata, tumor eius plerumque delapſus, cum parturientis faciliori reſpiratione, et magno totius corporis leuamine: tument labia magna vti et parua, emollita; hiat vaginae introitus: vagina ipſa paulatim dilatata, rugis plicisque euaneſcentibus.

Notas

Notas hafce probe perfpectas habeat iuuenis obftetricans, ne aliquando, de inftante partu interrogatus, errorem committat, famae fuae perquam nociturum.

Signa ifta citius tardius excipiunt *dolores* (Wehen, Labour-pains, douleurs) i. e. fenfationes moleftae, ortum trahentes a contractionibus vteri, ab onere fuo fe liberare tendentis. His natura vtitur tamquam inftrumentis ad partum perficiendum.

Diuiduntur dolores ifti fiue fecundum eorum naturam, fiue fecundum eorum vehementiam et tempus quo in partu occurrunt.

Quod attinet ad *naturam*, funt vel fpurii vel veri.

Dolores fpurii haud ab vteri contractionibus oriuntur, fed tantum dolores colici funt et tormina dolores veros et partum appropinquantem mentientia. Partum autem nequaquam promouent et fublata cauffa ftatim ceffant, etfi antea fatis molefti fuerint.

Dolores veri nonnifi inftante partu et a veris vteri contractionibus, proficifcuntur, foetum ita propellentibus, vt a partibus fuperioribus inferiora verfus directae fint contractiones. Hi, priusquam infans fit in lucem editus nulla arte fedari poffunt.

Sunt vel praeternaturales, vel naturales.

Dolores veri praeternaturales femper fpaftici generis funt: ab aetate, conftitutione, temperamento, animi affectibus, nimia vteri

diſtentione (in foemina delicatula, primipara), ſitu foetus peruerſo, nimia irritabilitate et ſenſibilitate parientis, foecibus alvinis ſ. lotio diu retentis, primarum viarum impuritatibus, mala peluis conformatione, peruerſo obſtetricis auxilio, anni tempeſtate, temperatura cubiculi, cet. originem trahunt. Alternantibus quidem vomitu et frigore, facie iam a primo partus tempore rubra, inflata; pulſu celeri, exili, contracto, duriori; dentium mox ſtridore, mox valida compreſſione, ſubſultu tendinum, crebris Lipothymiis, languore, inefficacia, explorationis ope, praecipue autem eiulatu parturientis et ex eo dignoſcuntur, quod fere ſemper exhibitis anodynis et opiatis ceſſant, cum e contrario dolores veri naturales nullo unquam remedio ſedandi ſint. Coeterum ſecundum cauſſarum diuerſitatem diuerſimode iis medentur.

Quodammodo et *dolores tergiuerſantes*, cum languore et inſigni torpore parturientis coniuncti, huius loci ſunt, quum ab iis partus praeter naturam tardus euadat.

Sed inprimis ad ſcopum noſtrum pertinent *dolores veri naturales*, quum unice in illo ſolum partus genere, quod mihi paulo accuratius depingendum propoſui, occurrant.

Hos ſecundum diuerſa partus tempora, quibus ſuperuenire ſolent etiam multum inter ſe differre, neminem rei obſtetriciae vel tantum non ignarum, latet. Quod diſcrimen ita magnum reperitur, vt

ab

ab eo, additis nonnullis aliis phaenomenis, *ſtadia* quaedam partus clare nobis fingere poſſimus. Haec diſtinctio tam in enarranda hiſtoria partus, quam in ferendo prognoſtico multum commodi affert.

Sunt autem *ſtadia* iſta numero *quatuor*. Nonnulli auctores tria tantum agnoſcunt, ita nempe, vt tertium et quartum haud diſtinguant: Id quod vero perperam fit, cum omnino inter ſe differunt, et iam a natura ipſa diſtincta eſſe videntur, veluti ex iis quae ſequentur, pateſiet.

Decurſum itaque dolorum iſtorum eo modo enarrabo, vt, quae ſimul obſeruantur phaenomena ſuo loco inſeram, ſicque vno filo totam partus naturalis hiſtoriam comprehendam.

Dolores praeſagientes. Stadium primum.

Noſtris *Necker*, ſ. *Röpfer*; Gallis mouches audiunt, quum nouae in his malis foeminae ſaepe iis fallantur, et partum propius inſtare putent, quam reuera eſt. Hoc leue dolorum genus iniucundum magis, quam vere moleſtum, foeminam grauidam inuadere ſolet, praeſentibus iis mutationibus externis ſupra commemoratis.

Omnibus quidem horis, attamen praecipue circa tempus veſpertinum primi ſentiuntur. Plerumque 12-18 horis finiuntur, interdum vero etiam per tres ad ſex dies protrahi poſſunt; quandoque duas ad tres tantum horas perdurant, in foeminis primi-

paris longioris, multiparis breuioris durationis. Incipiunt horripilatione, vomitu, vrinam mittendi desiderio, capitis doloribus, inquietudine et praecordiorum anxietate; superueniunt mox dolores ipsi, tensionis et ponderis sensu, in lumbis exorto, qui nunc per latera abdominis ad regionem pubis descendit, conspicui: rarius, i. e. singulis dimidiis horis, s. horae quadrantibus inuadunt, minus molesti, et foeminam, nisi primipara sit *) hilarem relin-

*) Vti sub quouis passu, ita etiam in partus negotio, admiranda nobis naturae sua vbique lex ac solertia occurrit, propter quam omnia quae fiunt, tam diuersissimis modificationibus subiecta sint, vt singulis, sub quibus fiunt, conditionibus, aptissima sint. V. gr. in primiparis genitalia & vagina plerumque adhuc angusta, firma, tensa, elastica & ad dilatandum non tam apta sunt, quam in multiparis. Idcirco etiam dolores hi, apud primiparas omnium longissime durant, et vehementiores omnino sunt: quo fit, vt pedetentim et sine magna molestia partes in eum statum commutentur, qui ad partum commodissimus sit: cum e contrario, vbi id non fieret, partus valde protraheretur, foeminaeque multo maiores et vehementioris cruciatus afferret. — Superuacaneum itaque, et nullius vtilitatis censendum auxilium eorum, qui in partu naturali, digitorum ope, partes genitales dilatare et hoc modo naturam iuuare modo plane erroneo somniant. Cum eos fugere haud deberet, naturam id solam, et nulla adiuta arte, efficere, et quidem longe alia ratione, ea nempe, vt legibus inuersis, in aperiundo vteri orificio obseruandis, vtatur, et ab interioribus nimirum ad exteriora progrediatur: ma-

linquunt. Parturiens ſub his doloribus, tantum minori gradu, ita ſe gerit, vti in ſtadii ſecundi deſcriptione dicetur.

Dolores iſtos veros eſſe, partumque inſtare, tantum ab expertis multiparis noſcitur, et ab obſtetricante non niſi praegreſſa exploratione affirmari poteſt. Hi enim dolores praeter praeſentiam ante dictorum partum praecurrentium ſignorum ſe produnt ſegmento vteri inferiore maxime expanſo, breui, et ob capitis globum in illo degentem, et firmiter ſupra arcum oſſium pubis poſitum, ſphaerico; orificium vteri vero tam deterſum et extenuatum eſt, vt ab externo ad internum fere nullum interſtitium ſuperſit: ad vnam duasue lineas apertum eſſe, et per aperturam iſtam ſub vteri contractionibus tenſio velamentorum ſentiri debet. Notandum vero, quod in multiparis orificium vteri multo citius et ad maiorem diametrum dilatatum ſit, ita vt fere ſemper digitum medium, immo duos, intromittere poſſis. Ibi inſtantis partus indicium certum, ſolummodo velamenta ſub doloribus tenſa, digitis explorantibus obuenientia, et canalis ceruicis plane detruſus, praebent.

Dolo-

maximam praeterea diuerſitatem verſari, inter illam continuatam et partibus accomodatum dilatationem, quae velamentis et capite foetus ſenſim et opportune fit, et inter debile illud, non ſine interuallis continuatum et partibus non accomodatum auxilium, quod digitibus fit.

Dolores praeparantes. Studium ſecundum.

Paulatim dolores et frequentiores redire, et vehementiores fieri incipiunt: anxietas, caeteraque ſymptomata ingraueſcunt: parturienti *ſub doloribus* genae rubent, ſi deambulaverat antea, nunc pedem ſiſtit et quaecunque illi obuia manibus prehendere, et firmiter tenere cupit: inſpiratio vehemens ſubſequitur, ſimul et pectoris et abdominis muſculi verſus inferiora niſus edunt, et parturiens etiam inuoluntarios niſus edit, ac ſi aluum deponere cuperet. Inuadunt omnibus 6-8-10 minutis, perdimidium ſ. integrum minutum durant, in interuallis vero foemina ſe reficit ac mox placida et tranquilla fit.

Huius vero ſtadii initium adeſſe dicitur, ſi mucus ille albus in vagina ſecretus nunc cum ſanguine ſit mixtus *). Tunc temporis orificium vteri ſaltem ad dimidium pollicem in diametro eſt diductum; ſub doloribus tenſae foetus membranae iam in eo percipiuntur. Poſt finem ſinguli eiusmodi doloris, aquae paulum adſcendunt, vt tamen minus quam ante eum dolorem altae ſint: deinde etiam ſilentibus doloribus protruſae manent, et ſub fine tandem ſtadii ſecundi ita deprehenduntur, vt quaſi dureſcant et ſub quouis dolore rumpere minentur (ſpringfertig). Scilicet ſenſim ſenſimque increſcendo, formam oblongam, ouiformem

*) Signum iſtud non quidem in omni, ſed tamen in quam plurimis partubus adeſt.

mem prae ſe ferunt, in conum nempe faſtigiatae, cuneum quaſi, cuius etiam officia praeſtant, referunt. Subinde tam magnae molis ſunt, vt de vagina emineant, et hoc modo ipſa genitalia externa diducant. Orificium et ſegmentum vteri inferius, dum haec geruntur eousque euaneſcit et diducitur vt ampliſſimum ac tenuiſſimum dici queat et cum ipſo vtero et vagina canalem aeque latum efficiat, foetum transmittentem. Tandem cum leui plerumque fragore et impetuoſa liquoris amnii profuſione, *membranae rumpuntur.*

Stadium hoc per 2 - 3- 6 horas durare poteſt, et etiam multiparis tam moleſtum fit, vt cum ad primum non attenderint, nunc magis circumſpectae fiant. Signa eius ex ſymptomatibus apparent.

Dolores veri ad partum. Stadium quartum.

Statim poſt velamentorum rupturam obſeruamus dolores nunc nulla habita ratione vehementes et frequentes fieri. Vbi enim omnia in partu rite procedunt, ſingulis duobus vel tribus temporis minutis redeunt dolores. Eos vero multo efficaciores ac veluti alius naturae eſſe, quam praecedentes, primus iam intuitus demonſtrat.

Facies ruberrima, pulſus plenus et celer, ſudor ex quauis totius corporis parte ſtillans, oculi ſplendentes, tremor totius corporis et inprimis genuum, ſumma corporis inquietudo, anxietas, inſpiratio ſuſpirioſa, laborioſa, diuturna, et niſus validiſſimi-

diſſimi quos exſerit parturiens, indicant naturam nunc omnes vires impendere, et nihil aliud moliri, niſi vt aegram breui onere ſuo liberet. Non longo tempore poſt etiam effectus magni huius laboris apparent. Caput nempe, velamentis non amplius obtectum, ſtatim in illum quem ante aquarum effluxum Chorion et amnios occupauerant locum, intrat, et per totum ſuum ambitum orificio vteri cingitur. Tunc temporis *caput coronatum* (Kopf in der Krönung. Tete couronnée Germanis et Gallis) audit, Quouis dolore caput, et quidem primum occiput, magis in cauum peluis deprimitur, atque hoc modo magis magisque ab omni latere comprimitur, Capitis inde oſſa in conum faſtigiantur: integumenta capitis cum antea non vbique ſint dura et tenſa, modo in plicas abeunt, eundem cum ſuturis curſum ſeruantes. Poſtea dum per fretum oſſibus pubis et ſacro interceptum lento modo tranſit, tumere incipiunt, id quod *capitis tumorem* appellamus.

Stadium iſtud intra horae (et ſaepiſſime ſemihorulae) ſpatium abſoluitur, ſed tam vehementer afficit parturientem, vt ingruente

Stadio quarto, c. doloribus conquaſſantibus

vix eandem agnoſceres. Doloribus enim vehementiſſimis creberrimisque excruciata, oculis furibundis extra cauitatem protrufis, fronte et genis madidis, facie ruberrima, feruente, vrente; dentium ſtridore,

dore, ſiti ſumma quandoque vomitu, reſpiratione difficillima, anheloſa, ſumma impatientia et inquietudine concomitata; ſub totius corporis tremore, omnibus viribus ad magnum opus impenſis, ſine vlla intermiſſione ſiue requie affectam reperires. A capite profundius nunc deſcendente canalis vrethrae premitur, hinc vrinae effluxus impeditur. Caput ipſum, tum ex vteri oſtio dimiſſum, totum in vagina haerens, ita perinaeum ſub doloribus in hemiſphaerium diſtendit: inteſtinum rectum, mechanice preſſum, faeces ſuas dimittit, et ani orificium in rimam longitudinalem, ſecundum peluis diametrum maiorem directum, intromiſſioni vnius ſ. duorum digitorum adaptatum aperit. Paucis inſequentibus minutis tumor capitis extra labia maiora conſpicuus fit, et perinaeum cutisque vicina vehementiſſime diſtenta ſemper manet, et tenuitate chartam ſcriptoriam refert. Anxietas parturientis nunc ſummum attigit gradum: adeſt momentum, quo ſibi ipſae mortem certam inſtare putant, quo veri *conquaſſantes* dolores ingruunt: non ſecus cruciatus ſuos verbis exprimere valent, quam comparando eos cum dilaceratione partium cultrorum ope. Tandem ſub acuto matris clamore et vna cum peculiari tremore caput euoluitur; ita quidem vt ea occipitis pars, qua lambdoideae crura cum ſagittali conueniunt, intra arcum oſſium pubis maneat, et hoc hypomochlii munere

fun-

fungente, facies primum in conſpectum veniat. Reliquum corpus fere ſemper facile ſequitur, ſi partus ſit naturalis: ſubinde quidem a nimia humerorum latitudine difficultates quaedam oriri poſſunt, at plerumque minus graues; vt idcirco partus haud alio niſi naturalis nomine inſigniendus veniat.

Foetum continuo ſequitur ſanguinis copia (librae vnius pondus circumcirca ſemper fere aequans) qui vltimo partus tempore vaſis vterinis exſtillaſſe videtur, vna cum liquoris amnii ea quidem portione, quam ſecundariam appellare ſolent medici obſtetricantes. Tum demum foemina dulce matris gaudium poſt tantos labores ſentit. Dolorum enim expers ſumma tranquillitate et ſerenitate perfuſa eſt, ita vt plures id temporis momentum inter feliciſſima & iucundiſſima vitae ponere minime dubitauerint. Blandus nunc interdum ſomnus defeſſam recreat, ſuauia inſomnia exhilarant. Haec quidem beatitudo vix per ſemihorulam, tamen ſubinde etiam per horam integram durat. Interim vterus *aequaliter vbique* ſe contraxit (quod vniformi modo iam in ipſo partus momento, cum vterus vacuum ſe prima vice ſenſerat factum fuit) et eo modo placentam paulatim a parietibus ſuis ſeparauit.

Paucarum guttularum ſanguinis effluxus, et vteri tumor, qui nunc ſub umbilico circumſcriptus, paruus et durus per-

ci-

cipitur, indicant, placentam ſolutam et nunc in eo eſſe, vt exitum ex vtero moliatur ſpontaneum. Noui hinc exoriuntur dolores, neque admodum graues, quibus tamen puerperae ſomnus perturbatur, ac paulo poſt placenta tum pondere ſuo, tum vteri contractionibus adiuta viam ſibi parat, aperiundo denuo vteri os, quod antea paululum contractum clauſumque fuit, ſicque deſcendendo in vaginam ſponte plerumque i nlucem prodit.

Tempus, quo placenta vtero excludi ſolet, varium eſt: raro caſu accidit, vt foetum protinus ſequatur, rariſſimo exemplo vna cum embryone ita expellitur, vt oui nexu cum vtero ſoluto, ouum, membranis quae liquorem amnii cum embryone ac placenta continent integris, in conſpectum veniat. Saepiſſime intra vnius horae ſpatium ex vtero propulſa placenta et in vagina haerens, perinaeum, partesque vicinas eadem, at minus moleſta, ratione diſtendendo, vti antea foetus, ab obſtetrice deprehenditur. Interdum vero, quod quidem omnino nihil nocet, et non nimis pertimeſcendum eſt, per integrum et plures etiam dies in vtero remoratur, attamen non ſine morbi ſuſpicione.

Poſt excluſionem placentae, vterus vi quae ei ineſt elaſtica atque contractili, denuo ſe contrahit, vsquedum ad figuram et magnitudinem quam in mulieribus non gravidis reperimus, ſenſim ſenſimque accedat.

Placentae autem exclusionem sequitur sanguis modo maiori modo minori copia, ex ostiis solutione placentae dilaceratarum venarum vteri stillans, subinde tam copiosus, vt vrgens vitae periculum afferat.

Absoluta eorum quae in partu natuturali occurrunt, historia, supereſt etiamnum vt quaedam

De ope in partu naturali ferenda

adiiciamus.

Ea quae obstetricem, siue vir siue foemina hoc munere sub partu fungatur, decent, longiore sermone commemorare, animus non est. Dixisse sufficiat, mihi tantum de viris probis, in arte magistris, et foeminis honestis atque peritis sermonem esse.

Quam primum accersitus erit obstetricans, ante omnia prognosin quamdam edicere vrgebitur. De ea autem effattum suum semper incertum atque mancum manebit, quum, proh dolor! Semeiotice obstetricia, nondum ad eum perfectionis et certitudinis gradum peruenerit, cui necessario opus est ad prognosin certam atque solidam ferendam. Verum enimuero occurrunt casus plurimi, vbi se necessitate coactum ad interpretandam sententiam suam vidit. Tunc praemissis quibusdam generalioribus quaestionibus, ad signa praecurrentia, dolores praesagientes &c. spectantibus, ad

Explorationem.

refugere debet. De hac prima illi lex esto, vt eam quantum potest differre studeat,

quia

quia plerumque fouent foeminae eam de nobis ſententiam, vt partus, etiam naturalis, accelerari poſſit, ſimulac tactu de foetus ſitu certiores facti eſſemus, Qua ſola opinione fit, vt a nobis petant quod earum pudicitia alio tempore firmiter recuſaret. Hinc ſi u. g. iam in primo partus ſtadio explorationem inſtituimus, et foeminae adhuc per duodecim et quod excurrit horas increſcentibus magis magisque doloribus excruciantur, bonam quam de nobis foverunt opinionem deiiciunt, ac deſperare coeperunt, id quod praecauere potuiſſemus, ſi tantum ſub initio ſtadii tertii exploraſſemus. Admonitione vix opus habet noſtra, vt in peragendo iſto negotio cauta ac leni manu agatur, et decentiae quam maxime conſulatur. Quodſi itaque obſtetricans foeminam ſiue in lectulo, ſiue in ſella obſtetricia explorare velit, ſemper eo reſpiciat, vt ſuetis veſtimentis amictam linteo largo atque commodo adhuc obtegat.

Exploratio foemina vel ſubſiſtente, vel ſedente, vel in lectulo aut in ſedile aut in latera, aut in dorſum procumbente inſtitui ſolet. Situs lateralis et decumbens reliquis praeſtare mihi videntur. Multis iisque grauibus argumentis adductus, praeunte Puzos, Levret, Raulin, Baudelocque, Deleurye, Stein, aliisque viris in arte praeclariſſimis, experientiſſimis, ſemper et vbique, duobus digitis, medio nimirum atque indice, oleo quodam

expreſſo, non rancido, bene munitis, explorandum, atque vlnam manus explorantis, vbicunque fieri poteſt, flexo eiusdem lateris genu imponendum eſſe puto, nam indies praeſtantiam atque emolumenta inſolitae alias huius explorandi methodi experior.

In interuallis vtique dolorum exploratio inſtitui debet, neque prius finienda, quam ſubſequutus dolor iterum ceſſauerit, quo melius dolorum efficaciam, oris vteri aperturam, atque velamentorum figuram et naturam diſcernere queamus.

Praeterea exploratione tumorem, humiditatem et dilatationem genitalium externorum et vaginae, ac partem praeuiam foetus cognoſcimus.

Sciſcitando, et exploratione externa, de reliquis momentis, nobis ſcitu neceſſariis, fimus certiores.

Quodſi igitur hiſce adminiculis inuenimus, ſigna ea adeſſe, qualia in primo, ſecundo tertio, quarto, partus ſtudio depicta fuerant, tunc *hoc* vtique affirmare poſſumus, at *de reliquis* (ſi famae conſulere velimus) - - fere nihil.

Verum enimvero, vti experientia, optima ſemper duce, edocti compertum habemus, ſingulos partus naturales fere ſemper, quod attinet generaliora, inter ſe conuenire, ita quoque haec eadem nobis diſcrimen ſat magnum in quocunque partu, pro natura ſingularum mulierum parturientium monſtrat.

De

De *euentu* partus tum demum certi quid dici poteſt, vbi omnes res caeteras, aetatem, corporis conſtitutionem, partus praegreſſos, dolores praeſentes, peluis conformationem, velamentorum figuram *), capitis foetus ſitum **), inter plura alia, probe perſpecta habeat obſtetricans.

*) Obſtetricantes tactu erudito praediti et experti iam a figura et ſitu membranarum partum naturalem vel praeternaturalem pradicere valent. Nam ſi caput ſolum praeuium ſit, tum ſemper plus minus rotundae ſunt, i. e. capitis figuram et ambitum referunt verſus vteri orificium; verſus anteriora vero anguſtiores deprehenduntur, coni figuram ſimulantes, cuius baſis in orificio, apex in vagina ſit. Quandoque haemiſphaerica remanent, quod quatuor obſeruaui uicibus, in quibus omnibus ſtadium tertium et quartum non vltra tria minuta durauere. Obſtetricantis itaque attentionem meretur iſta Membranarum figura.

**) Magnus inter ſcriptores rei obſtetriciae diſſenſus eſt, de ſitu capitis foetus in partu, et vix meum cenſeo tantas componere lites. Referam ea, quae ego, trigeſies ſaltem ſenſi et tactu percepi. In primo et ſecundo ſtadio foetus facies latus aliquod, plerumque dextrum, reſpiciebat: ſutura ſagittalis, ſecundum diametrum obliquum, ſ. Deuenteri ſita erat: tunc ſenſim ingruente ſtadio tertio, et praecipue ſub vigore eius, caput ita verſum fuit vt incipiente ſtadio quarto fontanella minor in regione arcus oſſium pubis, ſutura vero ſagittalis, ſecundum diametrum minorem ſita inueniretur. Tunc occiput, figura conum referens ſub arcu pubis figebatur, et in linea ſemicirculari, facie primum apparente euolueba-

Quibus iam, vt plura pratermittam, apparet, obſtetricantem, quantum fieri poteſt, in prognoſi edicenda quam maxime cautum ſemper eſſe opportere. Quodſi vero neceſſario aliquid praedicendum eſſet, tunc comparatis ac bene conſideratis phaenomenis iudicium ferat circumſpectum ac potius ambiguum, ne parturientem vana ſpe decipiat, famamque perdat.

* * *

Quamquam partus *naturalis* proprie ſic dictus, ſit functio foeminae ſanae imo ſignum optimae valetudinis, ideoque foemina doloribus ad partum correpta haud tamquam aegrota artis opem efflagitans conſiderari poſſit; attamen negari non poteſt, auxilium ab obſtetricante ſuperuacaneum non eſſe, cum multum leuaminis afferre, variaque pericula, parturienti imminentia, auertere poſſit. Coeterum vero ſemper in memoriam reuocandum, obſtetricantem potius obſervare quam agere, naturam potius ſequi quam praeuenire debere, ſeque, vti ſemper, naturae miniſtrum non magiſtrum eſſe.

Supellex obſtetricia in partu naturali neceſſaria comparata eſſe debet modo ſequenti. Adeſſe debent:

Sella

uebatur. Haec naturalis capitis verſio, nonnullos obſtetricantes, ni fallor, in errorem induxit, vt putaſſent, ſe ſitum capitis peruerſum in naturalem digitorum ope mutaſſe: cum mathematice demonſtrari poſſit, id fieri numquam poſſe.

Sella obſtetricia commoda (inſtar omnium eſt, quae ab ill. *Stein* nomen habet): Syringa pro clyſteribus: Faſciola ex 6 8 filis tenuioribus compoſita et cerata, ad deligandum funiculum vmbilicalem apta. Forceps apicibus detruncatis, verſus apicem incuruis (Galli ad hunc ſcopum vtuntur forcipe peculiari, quam *Ciſeaux en Ecreuiſſe* nuncupant); lanceola ſ. Phlebotomus; Spiritus ſalis ammoniaci. Adſint praeterea: Vinum, acetum, vnctuoſi aliquid, oleum amygdalarum dulcium, butyrum recens, inſulſum, copia ſat magna fortis cuiusdam decocti mucilaginoſi, aqua calida, linteorum denique ſiccorum, calidorumque ſufficiens copia.

Sub primo nunc partus ſtadio obſtetricans nil aliud aget, niſi vt omnia parata ſint curet, que vel ad leuamen foeminae parturientis, vel ad naſcituri infantis curam facere poſſunt. Sequentium igitur capitum curam habebit:

Cubiculum. Pro re nata ſit magnum ſatis et ſpatioſum et ita collocatum, vt aëri liber tranſitus concedatur ſimulque, ſi neceſſitas vrgeat, calefieri poſſit.

Situs parturientis. Accedat quam maxime ad ſitum quem in ſumma corporis quiete obſeruare ſolemus, ſitque eo modo accomodatus, quo nixus validiſſimi edi poſſunt. In primo quidem et ſecundo ſtadio parum refert, vtrum parturiens incedat, aut ſubſiſtat, vel ſedeat, an vero decum-

bat. At effluxis aquis in ſitum ſe conferre debet, ante partum non relinquendum. Hoc caſu autem mulieris ſitus debet eſſe medius inter ſedentis et recumbentis in dorſum. Os coccygis ſit ab omni compreſſione liberum, femora disiuncta. Genua flexa ſubfulciantur, pedes figantur, atque imponantur firmis ac durioribus fulcimentis. Vtraque etiam manu conſtringat mulier corpus quoddam firmum, quo validiores ad expellendum foetum nixus edere queat. Ad impetrandum hunc ſcopum variae gentes variis vtuntur artificiis. Germani et Bataui enim commendant ſellam obſtetriciam: Gallis lectulus in vſu eſt: Anglis quoque; hi praeterea in ſitu parturientis laterali opem ferunt. Perinde videtur, vtrum ſella an lectulo vtamur, modo ambo ad officia ſua commoda ſint.

Sellae obſtetriciae duo praecipua requiſita ſunt, vt mobile fulcimentum dorſale ſit, atque ipſa facile et commode ex vno in alterum locum transportari poſſit. Iuncta haec duo commoda, praeter multa alia, offert ill. *Steinii* illa, ſecundum *Deuenteri* quidem ideas fabrefacta, at quoad maximam partem correcta.

In *Gallia* plerumque ſternitur lectulus ita, vt ſupra planum inclinatum parturiens iaceat, lumbos, dorſum, humeros caputque gradatim altiora habeat clunibus. Proxime ad ſellae commoda accedit methodus iſta, ſaepius ipſi ſellae praeferenda, modo ita com-

comparatus ſit lectulus, vt progrediente partu reliquum corpus in ſitum fere horizontalem redigi poſſit.

Angli, vti ſupra dictum fuit, ſitum lateralem praeferunt, quo foemina lateri ſiniſtro incumbens, facie ab obſtetricante remota, cruribus inflexis, ſuffultis, genubus puluinari conduplicato a ſe inuicem remotis, auxilium accipit.

Obſtetricans autem nulla praeſente ſella ſ. lectulo commodo, praeſentibus e ſellis, ſcamnis, tabulis, puluinaribus, ſtragulum commodum conficere, et tempori ſeruire bene calleat.

Veſtitus foemniae ita comparatus ſit, vt nuspiam corpori firmiter adhaereat, ſed omnia laxa atque commoda ſint, nullumque doloribus impedimentum, ſ. parturienti periculum afferant. Neque nimis denſus nec nimis tenuis ſit, munditiei inſeruiat, et ad ſubito commutandum ſit idoneus. Arridet quoque cl. *Plenckii* conſilium, qui varicibus in pede praeſentibus, faſcias applicare iubet, ne ex improuiſo rumperent, vitaeque periculum afferrent. Ad praecauendas ſtrumas, collum firmiter ligare ſolent nonnulli, at peſſimo conſilio. Praeſtat enim aliud remedium, de quo infra agam.

Cibus non plane negandus, at talis porrigendus, qui facilis ſit digeſtu, neque vllas moleſtias, ſiue flatus, ſiue cruditates generare poſſit. *Potus* autem pro lubitu ſuppeditandus modo frigidus, modo tepidus.

Maxime vero conducit decoctum hordei cum ſucco citri, infuſum quodcunque theaeforme, inprimis Fl. Chamomillae: Aqua cum cruſta panis decocta, addito ad gratum ſaporem aceto: neque aqua frigida ſiue meraca ſiue vino mixta plane contemnenda erit. Confortantia, calefacientia, ſpirituoſa ſuo quidem loco, at raro, prodeſſe poſſunt; ſaepius autem quando temere et ſine indicatione propinantur, omnino obſunt. Melius itaque erit, eorum vſum communi obſtetricum plebi plane interdicere. Quando vero opus eſſet tali cardiaco, tunc vinum generoſum Burgundicum, aut vinum meracum Rhenanum, reliquis fere omnibus palmam praeripit.

Excretionibus tum *alui*, tum *lotii* ante omnia proſpiciendum. Mirum enim eſt, quantum ad partum facilitandnm conferat foecum in inteſtino recto accumulatarum euacuatio, et quanta partus impedimenta ab eodem inteſtino a foecibus diſtento oriantur. Prima itaque cura obſtetricantis in eo verſetur, vt foeminae *clyſma* emolliens ex infuſis Fl. Chamomillae, Maluae, Altheae, cum lacte, oleo, vel iusculo carnis non ſalito applicari, et pro re nata repetere iubeat. Dein lotium quoque mittere debet parturiens, quousque eius excretio non fuerit ſuppreſſa. Quo caſu, vrgente neceſſitate, ad catheteris applicationem confugere debemus; hanc vero operationem difficillimam, nec niſi a viro peritiſſimo exercen-

dam

dam esse, in eo consentiunt omnes fere summi in arte viri, negante, nescio quo iure, solo cl. *Hagen.*

Venaesectio quidem raro instituenda, cum plerumque plus nocet quam proficit. Sed omnino occurrunt casus, vbi maxime necessaria erit. Hos secundum therapeutices praecepta dignoscere debet obstetricans, et si recte perceperit, saepissime vnica tantum VS miraculum quasi patrare potest.

Haec fere sunt, quae in primis partus stadiis perficienda incumbunt obstetricanti. Si exploratione certior factus est de recto foetus situ et de partu vere instante, tunc omni exploratione abstineat, donec membranae rumperint. Alienum plane et multis modis noxium foret, vbi hanc regulam negligeret. Quo magis enim otiosi sumus, eo melius opus perficimus.

Praeter supra recensita, obstetricantis auxilium sub partus initio erit, parturientis animum erigere, et omnibus persuasionis artibus dolores eius subleuare, praecipue vbi in partus negotio noua sit foemina, hortando vt bene speret, pollicendoque tempore opportuno opem. Neue obliuiscatur adstantium et muliercularum inutilium et parturienti minus acceptarum turbam dimittendi, et tantum eas seruet, quas sibi commodo futuras credit.

Varias ob causas plurimum conducit, parturientem statim post aquarum effluxum in eum situm transferre, in quo partum editura

tura eſt. Numquam enim de certo dicere poſſumus, vtrum maiore, an minore temporis interuallo poſt, partus inſecuturus ſit: neque vllo modo dubitandum, foeminam in ſitu ſupra commemorato, multo validiores, eosque ſecuriores nixus edere poſſe, quam ſi adhuc in pedibus ſubſiſteret, aut incederet. Itaque nunc parturiens in ſitum ſatis commodum et aptum transferatur, obſtetricans vero, ſella humiliori contra eam ſedeat, vt genubus ſellam ſiue lectulum attingat, hisque parturientis crura a ſe inuicem remota teneat. Obſtetricans ſuper femora linteum conduplicatum expandat, deinde parturientem linteo largo obtegat, ne decentiam ullo modo negligat: caeterum veſtimenta nequaquam deponat, ne laniatorem referat; ſed ſufficiet munditiei ergo, manicas veſtimenti apertas aliquantulum reiicere.

Vt vero vires ad partum, quas vocant ſecundarias, efficaciores reddantur, fulcimenta quaedam parturienti miniſtrare expedit; ſi lectulo vtatur, ambae columnae, aut ambo pedes huic muneri ſatisfacient, ſi autem latior ſit lectus, aſſer transverſus poni poteſt, quem ad lecti fulcra, aut ſi lectus loris ſubtentus ſit, ad clauum ligneum huic infixum, alligandum curabit obſtetricans. Quorum defectu duae adſtantes, parturientis femora diuaricata tenebunt, manibus mulieris genubus admotis. Admodum quoque conducit,

oſi

ſi ſub vertebrarum lumborum et oſſis ſacri regione linteum triplex vel quadruplex ponatur, vtrinque prominens, quo ſub dolorum acceſſu ſubleuetur foemina, et levamen illi eximium praebeatur.

In ſella omnia haec commoda iam adſunt; et obſtetricantem nihil adliud agere oportet, niſi vt ipſe genua foeminae fortiter ſuſtineat, donec alibi opem ferre coactus fuerit, tunc temporis duabus adſtantibus id negotium reliquendum. Altera adſtans caput parturientis leuiter verſus pectus premat, ibique firmiter teneat, vt ſtruma praecaueatur (quod quidem auxilium multo minus periculi habet, quam ligatura illa ſupra nominata; neque vlla inde moleſtia parturienti exſurgit, ſi cum vrbanitate fit).

Dum parturiens in ſitu iſto decumbet, hortetur eam obſtetricans, ne dolores irritos eſſe ſinat, ſed potius efficaciores reddat, muſculos abdominales contrahendo, valide ſed lente ſpiritum ducendo, leniter vero exſpirando, eosdem conatus edendo, quibus aluum exonerare ſolet. Adeſt enim tempus, quo natura omnibus viribus intentis, exitum foetus molitur: ſuſtentare molimina iſta, hoc opus, hic labor eſt. Adeſt nunc tempus, quo prudentis cunctationis fructus capere poſſumus, niſi primo et ſecundo ſtadio foeminam modo plane noxio ad nixus edendos exhortati ſumus, et labore vano defatigauimus.

Simnlac

Simulac velamenta rupta fuerunt, obſtetricans exploratione certior fieri ſtudet, de capitis recto ſitu, et in os vteri ingreſſu. Si omnia ex voto cedere inuenit, tunc vel plane omni vlteriore exploratione abſtineat, vel ſaltem rariſſime id peragat, ne foeminae inde dolores exoriantur, et vagina muco ſuo, ad faciliorem capitis tranſitum maxime neceſſario, deſtituatur. Vbi autem ſcire refert, num dolores reuera efficaces ſint, nec ne, tunc exploratione opus eſt, ante, ſub, et poſt dolorem inſtituta.

Quartum nunc appropinquat ſtadium illud, quo, ſi vnquam, auxilio opus habet parturiens noſtro. Scilicet, ſub validis iſtis nixibus caput magis magisque in cauitatem peluis deſcendit. Tandem totum in vagina haeret, et nunc ſub doloribus perinaeum tenſum fit et extenuatur: ſentitur caput perinaeo veluti obvolutum, haemiſphaericum.

Notandum, quod quanto vlterius proceſſerit caput, eo magis deprimendus ſit lectulus ſiue ſella, ita vt ſitus eius mox ante partum, ſit decumbentis in dorſum.

Tum pinguedine quadam, butyro recente, oleo amygdalarum dulcium, vel etiam decocto Maluae, ſ. Altheae, vaginam, labia, et praecipue perinaeum, inungat et oblinat obſtetricans, vt partes inde fiant laxiores, et reddantur magis lubricae. Dein ſub quouis dolore expanſum perinaeum firmiter vola dextrae ſuae ſuſtineat, et valide premat ſuperiora verſus.

Si

Si altius deſcenderit caput, eiusque tumor inter labia magna apparet, et perinaeum tenſum manet, tunc idem auxilium ita continuatur, vt dextra ſemper fortiter perinaeum ſuſtineat, ſiniſtra genitalibus oleum applicante. Manus vero ita poſita ſit, vt carpus ad commiſſuram labiorum inferiorem planum inclinatum formet, ſuper quod caput lento modo e vagina progreditur. Quotiescumque manus per longius intervallum perinaeo applicata eſſe debet, tunc vlna genu eiusdem lateris impoſita ſuffulciatur, ſubinde etiam altera manu iuuetur.

Alios fuiſſe obſtetricantes, qui hoc tempore auxilium nefandum et omnino reiiciendum, commendauerint, neminem fugere poteſt. Praecipiebant nimirum; hoc tempore duobus inter perinaeum et caput foetus intermiſſis digitis, perinaeum retro, poſteriora verſus premendum et infra caput ducendum eſſe. Luce autem clarius patet, quam peruerſum ac periculoſum ſit auxilium iſtud. Perinaeum enim, chartam ſcriptoriam tenuitate referens, et a capite ſolo tantopere expanſum, vt quauis occaſione rupturam minitetur, magis adhuc extenuare atque expandere, nonne hoc idem eſt, ac ſi eiusdem rupturam accelerare velles? — Et revera nusquam alias plura de perinaei rupturis legimus, quam apud eos ſcriptores, qui nefandum iſtud artificium commendant. Cum e contrario qui deſcripto modo parturienti

ſuc-

ſuccurrunt, inter quos praeclari nominandi veniunt *Smellie*, *Stein*, *Plenck*, de hoc infortunio vel plane numquam, vel ſaltem rariſſime loquantur. Equidem auxilium iſthoc ſequutus, nullam vsque ad hunc diem, perinaei rupturam deprehendi. Quinimo quater, ſub partu admodum praecipiti *frenulum* fere intactum et bene conſeruatum vidimus, ſed etiam in his caſibus ſemper tumorem capitis reperimus, neque vmquam *ſphaericum* in lucem editum caput (quod quidem accidere poſſe neutiquam nego; ſed tantum dubito, an tam frequenter accedat, vt Cl, *Hagen* hoc affirmat . . . et ſi accideret, tamen oriretur queſtio; num, ſi perinaeum probe ſuſtentatum foret, capite etiam ſphaerice prodeunte, frenuli et perinaei ruptura non praecaueri poſſet?).

Fit interdum, vt pars ſegmenti inferioris vteri (plerumque anterior et ſuperior) inter capitis foetus oſſa et arcum oſſium pubis comprimatur, ita vt tumere incipiat, et nonniſi ſumma cum difficultate retrocedat: vel etiam alia ex cauſa vterus non prorſus caput derelinquit et hoc modo partum retardat. Tunc ſequens eximiae vtilitatis comperimus auxilium: digitum nempe medium et indicem alterutrius manus, ita ab vtroque latere capiti foetus apponendi, vt ea orificii vterini pars leniter reprimatur. Qua encheireſi ſaepius partum ad vnam et plures horas promouimus.

Saepius

Saepius etiam capiti, ſi iam exitum parat difficultas quaedam obuiam venit, ita vt ſi iam extra genitalia conſpiciatur, ſub dolorum interuallo quaſi retrocedat. Mirum quantum in hoc caſu promoueat partum encheireſis illa, quo vnum vel duos digitos illius manus, quae perinaeum ſuſtinet, in orificium ani apertum introducimus, et hac ratione caput ibi retinemus vbi a doloribus propulſum fuit.

Ita fiet, vt tota tandem capitis moles, e ſinu pudendorum exeat, quod obſtetricans nunc ſiniſtra ſua ſuſtinere, dextra vero exitum humerorum et reliquarum corporis partium adiuuare debet. Si autem humerorum exitus paullum retardaretur, indice ſub axillas demiſſo et ſic trahendo ſolutio eorum accelerari oportet. Deinde totum corpus ſecundum axin peluis extrahitur, et infans transuerſim gremio obſtetricantis imponitur: poſtea funiculus vmbilicalis ad longitudinem quatuor pollicum a corpore infantis ſatis arcte ligandus, atque ad diſtantiam vnius pollicis extra hoc diſſecandus eſt. Infans mox balneo tepido committitur, et vbi a ſanguine purgatus fuerit, menſuris et pondere compertis, inſpectisque ab obſtetricante, ore, naribus, auribus, palpebris, ano, meatus vrinarii apertura, vt ſi quid in iis naturae inſtituto alienum inueniret, tempeſtiuam opem ferre poſſit, linteis, calidis veſtitur et in lectulum ponitur.

Poſt hoc puerpera in ſitum plane horizontalem transfertur et pedibus iunctis ſomno per ſemihorulam relinquitur. Quod ſi nulla oriuntur ſymptomata, quae ad accelerandam ſecundinarum extractionem cogunt, e. gr. conuulſiones, haemorrhagiae, commode per vnam et plures horas exſpectari poteſt, vsquedum foemina ipſa, (quod plerumque fit), nos moneat, vt ad hanc ſolutionem cogitemus. In hoc interuallo vt plurimum paucae ſanguinis guttulae ſtillauere, et omnes illae mutationes, quas iam ſupra memorauimus, conſpiciuntur, ita vt placenta iam in vagina haereat et obſtetricanti nihil aliud agendum ſit, niſi leni attractione funiculi vmbilicalis, exitum eius tabſoluere.

Sed quandoque accidit, vt vterus totus quantus ſit contractus, vtque ſanguis ſtillauerit, et nihilo minus placenta non ſequatur. Huius phaenomeni ratio plerumque ea eſt, quod vel moles placentae vaginam tam arcte implet, vt hinc difficultas aliqua naſcatur, vel portio eius in orificio vteri remanſit et ab illo conſtringitur. Si obſtetricans hunc caſum probe perſpexerit et perſuaſum habet placentam ab vtero eſſe ſeparatam, et foemina propter hanc moram anxia et ſollicita ſit, tunc illi hoc modo ſuccurrendum: obſtetricans, vt ſupra dictum fuit, ſedeat, et digitis medio et indice dextrae manus linteo tectis, funiculum umbilicalem bis circa hos voluit, et quidem ita,

vt

vt pollex ſuperiora ſpectet et tota manus proxime ad genitalia accedat. Tunc iisdem digitis manus ſiniſtrae in vaginam immiſſis, et vsque ad inſertionem funiculi in placentam protractis, his funiculus deprimitur, et eodem tempore dextra tractionibus leuioribus, ſpiralibus attrahitur, ad axis pelvis normam.

Placenta fere ſemper has leuiores tractiones ſequetur, quod facili opera ab obſtetricante percipitur; tunc pergendum eſt, et funiculus denvo circa digitos voluendus, ſi longior factus eſt, vt eo maiori efficacia trahere poſſimus.

Sin vero minus id acciderit, atque e contrario funiculus retraheretur, et placenta minime ſequente etiamſi tractiones paullulum fortiores inſtituerentur, tum ſubito ab hac encheireſi deſiſtendum. Quid vlterius ſub his periculoſis circumſtantiis agendum ſit, cum ad opem in caſibus praeternaturalibus ferendam pertineat, huius loci non eſt.

Si vero ſequatur placenta, et iam in vicinia labiorum maiorum appareat, tum ſiniſtra verſus commiſſuram inferiorem deſcendendum, vt vola eius excipiatur placenta: dextra funiculum relinquit, et velamenta reuerſa, et poſt placentam ſequentia, leniter attrahit.

His peractis obſtetricans manum adhuc in vterum infert, et grumos ſanguinis, qui in cauitate eius reperiuntur, euacuat, ſimul-

que certiorem ſe facit, contractiones vteri bene ſuccedere.

Piget ſane, de multiuariis infirmitatibus et periculis loqui, quibus foemina expoſita eſt, ſi neglectis iſtis regulis, ab obſtetricante ſeruandis, ſine die et conſule, ſimulac placenta non breui apparet, manus vtero immittitur et placenta ſaepenumero vnguibus ſeparatur. Legant, obſecro, omnes hanc perniciosam nimis regulam ſequentes, Cl. *Aeppli* de hac re egregia ſcripta, et ſi tunc temporis non credunt cautiori, neque meliora edocentur, arti obſtetriciae valedicant potius, quam vt auctores eſſe malorum innumerorum pergant.

Foetu in lucem edito, ſimulque ſecundinis extractis, ſi ſanguis, ſublata iam reſiſtentia nimia violentia agatur in aortam deſcendentem, ortum praebet, Lipothymiis ſyncope, conuulſionibus et id genus aliis; quibus occurritur ventrem faſcia lata leniter conſtringendo (vti Cl. *Monro* poſt paracentheſin abdominis applicare iuſſit). Mater deinde in lectum calidum et mundum transferenda, femoribus ad ſe inuicem adductis et cruribus extenſis, linteisque modice calefactis, vino generoſo cum oleo quodam dulci mixto, imbutis, genitalibus et abdomini applicatis ne vterus ab aëre frigido laedatur, lochiaque ſupprimantur. Si debilis ſit, quoddam iuſculum loco calefacientis potus porrigitur etc. Linteamenta crebro

immu-

immutanda: munditiei ſumma cura habenda. Curandum tandem, vt quiete tam animi quam corporis perfectiſſima fruatur parturiens.

* * *

Sed hic pedem figo, et in aliud tempus differendum puto, innumeras deſcribere diuerſitates, quae, ſiue a nimia aquarum copia, ſiue a peruerſa valetudine parturientis, ſiue ab obliquitate vteri, ſiue ab animi affectibus, nimia magnitudine infantis, anguſtia peluis, ſpaſmo &c. in partu exoriri poſſunt, quamquam tandem naturalis fiat. In tabula exhibita et in ſecunda et tertia obſeruatione varii eiusmodi caſus occurrunt. At nimis prolixum foret, ſi de ſingulis ſeorſim tractare vellem.

THESES.

I.

Periculi plena, ideoque damnanda, est illa encheiresis, vbi expanso iam atque extenuato a capite perinaeo, perinaeum digitis in vaginam intromissis expandere adhuc et reprimere praecipitur.

II.

Lectio librorum, quos veteres graeci et latini reliquerunt, nostri aeui medicis neutiquam necessaria esse videtur.

III.

Foemina, vbi abortum passa fuit, methodo antiphlogistica potius refrigeranda est, quam Tincturae Cinnamomi aliorumque calefacientium vsu exaestuanda.

IV.

Explorationis distinctio in perfectam et imperfectam, omnino nihil praeter nomen noui continet

tinet; ab omnibus nempe inde a Smellie obſtetricantibus ſuo loco vſitata.

V.

Opportuno forcipis Leuretianae vſu vigentibus ſpaſticae indolis ad partum doloribus, Caſtoreo, Liq. anod., Spir. C. C. et reliquis omnino carere poſſumus.

VI.

E certiſſimis grauiditatis ſignis, in primiparis, eſt orificii vteri figura in rotundam mutata.

VII.

Fallax fere ſemper trahitur concluſio ex experimentis in brutis captis ad hominem.

VIII.

Febre puerperarum moriuntur interdum, quibus vtero inciſo foetus fuit extractus. Num ſeruandae, vbi ante operationem eius febris cura prophylactica fuerit inſtituta?

IX.

Frenuli poſt partum praeſentia certiſſimum praebet documentum auxilii caute atque circumſpecte adminiſtrati, abſentia vero contrarium docet.

X.

X.

Quo iuniores ſunt mulieres, modo annum aetatis decimum ſeptimum peregerint, eo felicius parturiunt.

XI.

Occurrunt omnino caſus, vbi ſectio Symphyſeos oſſium pubis embryulciae et operationi caeſareae praeſtat: minime itaque plane reiicienda.

XII.

Foeminis grauidis, vltimo praecipue grauiditatis tempore, ſaepius conuenire videtur emeſis, quam venaeſectio.

Numerus Observationum.	Numerus Graui distatum.	Habitus et Constitutio Personae.	Conformatio Pelvis.	Tempus conceptionis.	Tempus partus	Sensationes, valetudo foeminae graviditatis tempore.	PARTVS HISTORIA.	Pondus infantis.	Longitudo infantis	Diameter capitis maior.	Diameter capitis minor.	Longitudo funiculi umbilicalis.	Eius Qualitas.	Placentae, Pondus.
1.	P.	Statura mediocr. robusta, sana,	Bona.	Vltima Martii 85. hebdom.	D. 9 Febr. 86.	Semper bene se habuit.	Primi dolores hora nona noctis inter 9 et 10 Die Febr. — Hora 9¼ matut. *Signa* adsunt. — Hora 12 Aquae formatae. — H. 12¼ Velamenta rupta. *Initium stadii tertii.* — H. 1¼ Caput totum in vagina, prope finum pudendorum. — H. 2da pomeridiana capitis tumor inter labia maiora apparens. — H. 2¼. *Stadium quartum.* H. 2. 57 min. PARTVS. — H. 3. 20 min. placenta foluta . . . post copiofus fanguinis efluxus.	6½ libr.	20 pollic.	4½ pollic.	3¼ pollic.	19½ pollic.	Crassus femel circa infantis collum contortus.	1½ libr.
2.	P.	Parua, at bene conformata, sana et robusta.	Bona.	Tertia Martii 85. hebdom.	D. 19 Decembr. 85.	Bene se habuit. Alieni nihil sensit. Fine Nouembr. mammae lacte impleri coepere.	Vespera diei 17 dolores *praesagientes.* D. 18. H. 3¼ stadium secundum. — H. 10 vespert. stadium tertium. — H. 12. Stadium quartum. — H. 12¼ PARTVS. — H. 12½ placenta.	—	—	—	—	—	—	—
3.	M.	Bene conformata sana.	Bona.	Secunda Sept. 85. hebdom.	D. 13. Febr. 86.	Nauseam, vomitus, dolores mammarum perpessa est.	Primi dolores H. 8. vespert. d. 12. — *Altero* mane H. 3½ sam principium stadii tertii aderat. — H. 4½ Caput coronatum. — H. 5½ Caput iam totum extra orificium vteri. — H. 5¼ stadium quartum. — H. 6ta PARTVS. — H. 6½ Placenta expulsa.	6½ libr.	21 pollic.	4½ pollic.	3½ pollic.	14½ pollic.	Sanguineus.	
4.	M.	Vti supra.	Bona.	Secunda Iunii hebdom.	D. 23 Martii 86.	Fluxum menstruum vsque ad dimidium fere graviditatis tempus habuit.	Nocte D. 22 dolere coepit. — Mane hora 7¼ Aquae spuriae effluxere. — H. 8 initium stadii *secundi.* — H. 10¼ *Stadium tertium.* Statim rugae integumentorum capitis apparent, caput vbique orificio vteri circumdatur. — H. 11. Caput totum in vagina. — 5 minut. post, tumor capitis extra labia magna conspicuus. Spasmus pedum. — H. 11½ INFANS in lucem editus; postea copiosus aquarum turbulentarum et flocculentarum effluxus. Placenta paucis post H. 12 minutis insequuta.	7½ libr.	22 pollic.	5 pollic.	4 pollic.	23 pollic.	Crassus.	
5.	M.	Vt supr.	Bona.	4ta Iunii hebdom.	Eadem Die.	Bene se habuit. Vitam foetus versus finem Septembris sensit.	Meridie D. 22. dolores praesagientes. — Sequente nocte H. 1½ stadium secundum. — Hora 6½ matut. Velamenta arte rumpuntur. Postea dolores vani et irriti superueniebant, partum minime promouentes. — Tandem post H. 12 magis efficaces redditi, nunc fortiter in foetum agebant, ita vt non multum post (i. e. H. 2½) partum enixa esset foemina.	6½ libr.	22½ pollic.	4½ pollic.	3½ pollic. in medio placent. insertus.	32 pollic. Collo infantis semel circumvolut	Crassus.	1 libr.
6.	P.	Staturae procerae, sana, robusta, quadrata, torosa.	Optima.	Vltima Maii 85. hebdom.	D. 25. Mart. 86.	Tribus primis mensibus appetitu carebat. Dolores mammarum et dorsi perpessa est. Inde a primis Decembris die vitam foetus sensit	Iam inde a 19 Febr. dolores lumborum, appetitus defectum, crebra ad lotium excernendum incitamenta, caeterique partus proxime instantis signa conquesta est. Nihilo tamen minus protrahebatur vsque ad D. 23 Mart. horam primam matutinam, qua post vnum alterumue dolorem velamenta rumpebantur, aquae effluxere: idque sine vlla euidenti causa violenta accidit. De caetero omnia partus signa aderant. Vteri orificium ita apertum, vt digitum medium transmittere posses: caput in superiore apertura pelvis fixum haerebat. In hoc statu per 50 et quod excurrit horas remansit, orificio tantum vteri ad quatuor vel sex lineas magis expanso. — Meridie D. 24. opiatum illi porrigebatur: vespera Venaesectio instituta. Tandem D. 25. H. 8. matut. dolorum vehementia augebatur, orificium magis magisque aperiebatur. — H. 6½ Caput magis depressum, Orific. Diam. = 1½". — H. 8 Caput vndique Orific. vteri circumdatum. — H. 9. Applicatio Enematis. — Aucta nunc rursus dolorum vehementia, et orificio vteri magis diducto, cum tamen partum adhuc diutius retardatum iri, si naturae solum reliquereur, nullum dubium esset, forceps h. 11½ applicabatur, infansque, post difficiles tractiones, numero 30 excedentes, magnus quidem, sed mortuus! extrahebatur, h. 12. — 50 minut. post, placenta expulsa. — In puerperio morbosi fere nihil sensit mulier.	6½ libr.	23½ pollic.	5½ pollic.	4 pollic.	20½ pollic.	Pinguis.	½ libr.
7.	M. ?	Parua, admodum iuuenis,	Bona.	Penultima Iunii 85. hebdom.	D. 15. April. 86.	Nausea, Lipothymiae crebrae. Dolor mammarum.	Iam ante tres dies praetereuntes dolores perpessa est. Versus vesperam diei 14 dolores primi stadii veri aderant. — H. 7½ Mucus sanguine tinctus. Abinde dolores parum efficaces. — Hora 12 nocti. Velamenta digitis rupta, ruptu difficilia, cum perpauco aquarum effluxu. — 45. minut. post, quartum stadium irrupit et H. 1½ PARTVS, cum infequente copiofo aquarum efluxu. — Breui post placenta sponte venit.	4½ libr.	21 pollic.	4 pollic.	3 pollic.	—	Crassus varicibus distinctus	1 libr.
8.	M.	Statura mediocris, robusta.	Bona.	Fine Aug. 85.	D. 12 Maii 86.	Vertigine, Lipothymiis, doloribus lumborum quandoque afficiebatur.	Partus iste tam subitaneus erat, vt vix accersiti infans natus esset. Stadium primum et secundum vel vix ac ne vix sentiebantur, vel per semihorulam tantum durauere. Velamentis ruptis dimidia minuti spatio infans aderat. Post horae quadrantem etiam placenta foluta, cum copiofiffima, et tantum non nimis copiofa fanguinis deperditione.	6 libr.	21 pollic.	4½ pollic.	3½ pollic.	—	Pinguis.	—
9.	P.	Virago, staturae procerae, robusta, crassa, torosa	Optima.	Penultima Iulii 85. hebdom.	D. 13 Maii 86.	Nihil incommodi graviditate habuit. Inde a 3tia Xbris septimana vitam foetus sensit.	D. 2 Maii primis afficiebatur doloribus. — Vespera, postquam hora nona vomitus superuenisset, h. 10 stadium secundum aderat. Abhinc dolorum efficacia imminuta, vsque ad mediam noctem, qua velamenta disrumpebantur. — H. 12½ initium stadii quarti — 10 minutis post, PARTVS. — H. 1ma diei 3ii placenta foluta, cum infequente copiofa fanguinis deperditione.	7½ libr.	21 pollic.	4½ pollic.	3½ pollic.	24½ pollic.	Sanguineus, collum semel circumdans.	—
10.	M. 3.	Staturae mediocr.	Bona.	Primis Sept. 85. diebus	D. 27 Maii 86.	Per totum graviditatis tempus sana fuit - d. 25. Xbris primos infant. motus sensit.	Felice et repentino partu D. 27 Maii, hora 10½ matutina, enixa est filium.	7 libr.	22 pollic.	4½ pollic.	3½ pollic.	24½ pollic.	Sanguin. circa collum flexus.	1½ libr.
11.	M. 4.	Statura mediocris, robusta, sana.	Bona.	a Sept. 85.	D. 28 Maii 86.	Bene se habuit, excepta quadam lassitudine.	Tam repentine et celeriter peperit, vti illa No. 8. — Puerperium felicissimum habuit.	6½ libr.	22½ pollic.	4 pollic.	3 pollic.	—	Crassus.	1½ libr.
12.	P.	Statura procera bene conformata, robusta.	Bona.	a Sept. 85.	D. 8 Aug. 85	Praeter pallorem faciei, et tumorem dextri pedis, nullum incommodum sensit. Credit, se versus pascbatis festum primos infantis motus sensisse.	Primis doloribus ad D. 8. Aug. versus vesperam percussa est, symptomatibus suetis. — Sequenti die, hora 3½ pomerid. stadium secundum ingruit. Hora 7½ Velamenta rupta. — ½ post, stadium quartum. — H. 8. filiam enixa est. — Mox placenta expellebatur, cum magna fanguinis iactura.	6½ libr.	22 pollic.	4½ pollic.	4 pollic.	25 pollic.	Crassus.	1 libr.
13.	M. 3.	Statura mediocris, Lata robusta.	Bona.	A menstruis suppressis, non potest tempus determinare, cum semper incertae menstruata fuisset.	D. 12 Aug. 86.	Nauseam, vomitus, Lipothymias: at primis tantum mensibus.	D. 11. h. 3. pomerid. et inopinato aquae insigni copia effluxere, cum alioui deponeret: deinde doloribus leuibus et nullius momenti corripiebatur: inde a h. 7ma dolores grauiores accesserunt. — H. 10 subinde inter vrinas aquae effluxere, luculenter testantes, caput nondum bene esse situm. — H. 11½ caput vndique orific. vt. circumdatum. — H. 12½ stadium quartum . . . et 5 minutis post, PARTVS Placenta iam sex minutis post, expulsa erat. Puerperium felicissimum.	8 libr.	22 pollic.	4½ pollic.	4½ pollic.	—	—	1 libr.
14.	M. 3.	Vt supr.	Bona.	Nihil certi dicere potest.	D. 19 Aug. 86.	Solito modo affecta est. Tertia Februarii hebdomada primos infantis motus sensit.	D. 18 versus vesperam, dolores praesagientes aderant. Versus noctis medium, stadium secundum. — Hora tandem 5ta matut. D. 19 velamenta praeter opinionem rumpuntur, et duobus minutis post, infans in lucem editus erat.	7½ libr.	22 pollic.	4½ pollic.	3½ pollic.	—	Crassus. Centrice infertus.	1 libr.

Scholia quaedam ad praecedentem tabulam.

Tabula ista ex obseruationibus positioni formae conscripsis redsita, *praecipua* tantum momenta offert, ad partus eiusdem historiam pertinentia. Nullus equidem dubito, quin eiusmodi conspectus confici posset ex quo plures adhuc et graviores corollaria deduci possent; ideoque in posterum ipse sanitas, vt ad maiorem eius perfectionem et eorum conferan symbolam. Vt tamen apparet, magnos eiusde fructus redundare posse, subiicium conficiatis quandam, leui tantum penicillo adumbrata, e tabula mea petita. Ex omnibus 14 puerperii, ea Nro. 4 sola est, quae tempus graviditatis a concubitu cum viro defuisset: caetere omnes a superfectione suarum menstrui compotium fuiebant. Quam dubia autem atque fallax ista aestimandi ratio sit, quotidie fere edocemur. In tabula mea ne diuae quidem foeminae sunt, quarum calculus inter omnes; plereque vero, duobus, tribus mensibus inter se differunt; ita vt modo sex hebdomadibus orgus, modo octo septimanis medius fortum enixa sit haec vel illa. Id quod ex eo, ni fallor, oritur, quod gravidae tam attento sitia animo mutationes in functionibus suis occurrentes, observant. Dein ex eo quoque, quod multae omnibus fortim post conceptionem menstrua plane cessent, sed pauibus vel nulla vel imminuta quantitate primo et secundo mense adhuc proueniant, rire iudicium, nobis afferunt. — — Ita sit signis, in noscendis tempus partus *diem* coniectura adiecuti famus. Ac quamquae etiam, praecipue in multiparis, non fefellimus. Apud eam Nro. 4 inde a concubitu vsque ad partum 42 hebdomadas elapsae erant; ita vt calculus, si vbique initial posset, haud ita multum a veritate aberraret.

Vtinam est prognosticos scientiores obstetricis: *quo diutius duraueritu primum et secundum partus stadium, ex citeri et quartum fortum iri.* Quod autem, quam mobris fabiciium se exceptionibus, tam ex re ipsa patet. Vtique tertium et quartum stadium minori tempore absolueretur, quam duo priora. At rationem quandam motuum faciebam, nonnisi ex foeminis calibus colligere poser, et tunc temporis haud magnam reperiet. Quamuis tertium et quartum stadium eadem ratione qua 1 et 2dum diutius durare vidimus. Secundum opinionem meam, ragus optimam forte, si pronosticon hoc mihi fum facerentur, ne quando in applicatione eius errorem commitamus.

Quare tam multae *circa vesperam* doloribus ad partum corripiuntur, ita vt plerique partus ante lucem succedant?

Num verisimile sit, anni tempus, temperiem et temporis mutationes vim quandam in partum habere, ita vt ab illi, nonnullarum diurnum citior sive tardior partus pendeat? --- Haud displicet hiec coniectura, quae vero nonnisi longa obseruationum serie affirmabitur.

Recendendus foiet etiam locus rupturae velamentorum et inflexionis funiculi umbilicalis. Cum autem ambo in plerique eccentrica sint, tam temporis tantum notanda sunt, quando centrice rupta et inserta interuiniur.

Parigmon sane iuuenis obstetricieti conducere possunt partuum historiae, quibus intercedit ipse contingere, modo ad cubilari linteria confugerit. In eiusmodi autem foeminae *spiritali* pesertet tam memoratos, sequentes titulis, ni fallor, necessarii edent: Menses; Gestationis mensuratio flutomenti, Thermometri, Hygrometri; pondus aequatum; latitudo humerorum; genus, valetudo infantis; fuis puerperii et eiusdem memoratu digna reliqua.

Ad Nro 3. Capitis tumor fat magnus, foliis mollior erat, digitumque impressibus cedebat, vti apud infantes fab pars mortuos inuenitur; nihilo minus infans iam a primo vitae momento maxime alteris ac vegetus fuit.

Ad Nro 4. Est specimen partus maxime naturalis. Velamentorum figuram nulla alia occasione tam bene fabricatum et in pa et 4to stadio dolores tam efficaces, et tamen partum non nimis praecipitarum vidi quam in hoc casu.

Ad Nro 5. Infantis tumor capitis maxime fuit conspicuus. Simulac e matris fiora veniebat, mortuum esse credebamus, sed VS. e funiculo umbilicali, balneis tepidis, adspersione aquae frigidae inopinata fuspius repebas, spiritu fulis amentaiui, tum fistionibus continuis in vitam resuscitat.

Ad Nro. 6. Inter 40 fere nascentes, hic vnicus in parte domartuus est, qui nullis artificiis vitae restitui poterat.

Ad Nro. 7. Foemina ista 19 annorum, cervicis portionem, quam volunt vaginalem, ita compactam habebat, vti ism in lucem edito infuse deprehendi solet, attamen paullo mollior erat. Negauit fleruae, se antea vnquam concepisse: dubitandi autem nobis etiam dedit aetas eius tam iuuenilis. Sed postea certiores fuimus eam iam abortum passam fuisse. Velamenta tenacitate pergameno accedebant: id circo etiam difficultatibus rupturae eorum. aitra ope facta, continuda erat.

Ad Nro. 9. Foemina ista, quamuis robusta, torosa, virago fuerit, tamen dolores non admodum fortes expera fuit. Sensibilitatis a nimia pinguedine imminutae tributandum id fuisse, vix dubito.